

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4245

Auteur(s) : Gautier de Coutances, Rouen (archevêque)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1190...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Gautier, archevêque de Rouen, notifie l'accord conclu entre l'évêque Achard d'Avranches et le monastère de La Lucerne sur la prébende cédée par l'évêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, n° XXVII, p. 22-23.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Walterus Dei gracia Rothomagensis archiepiscopus salutem in Domino. Approbate consuetudinis est que ad utilitatem ecclesie bonorum instituit providencia, ne presumptuosa malorum temeritate violari liceat, litterarum apicibus annotare. Noverit igitur universitas vestra quod Achardus Abrincensis ecclesie episcopus, paupertati canonicorum et necessitati consulens et etiam animarum saluti, petitione et assensu tocius capituli sui, concessit in perpetuum quod omnis Abrincensis canonicus, post obitum suum sive etiam post susceptum religionis habitum, redditus prebende sue anno integre habeat, quos sic distribui instituit : ut cenobium de Lucerna habeat redditus illos, si ex canonici facultatibus et debitorum ejus solutio et exequiarum expense honorifice fieri poterunt ; si autem canonici facultates ad debitorum solutionem et exequiarum expensas non suffecerint, quod deerit ex redditibus prebende suppleatur residuumque prefato reservetur cenobio ; sin vero tanta erunt debita ut preter canonici facultates totos exigant prebende redditus vel etiam ampliores, universi in eorum solutione expendantur. Pro hoc autem concessio sibi beneficio Ansgotus prefati cenobii abbas et fratres Abrincensis ecclesie canonicos in fratres susceperunt, promittentes et concedentes se singulis Abrincensium, post decessum, tantum orationum et omnimodi beneficii impensuros quantum suis decedentibus impendunt canonicis. Nos autem institutionem pretaxatam tam utilem quam honestam attendentes, ut majoris esset auctoritatis et omnino inconcussa permaneret, eam presenti scripto et sigilli nostri munimine dignum duximus roborare. Quisquis autem vel invidia ductus vel temeritate huic scripto contraire temptaverit, ira omnipotentis Dei et beate Virginis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Andree et sancti Romani et omnium sanctorum se noverit incursum seque anathematis vinculo subjacere. Testibus Roberto, archidiacono Rothomagensi, magistris Simone, Johanne de Sagio et Henrico de Andeleio, canonicis Rothomagensibus, Roberto et Rogero capellanis, Willelmo de Pisa elemosinario, Ricardo Hayron et Laurentio et multis aliis.